



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum prorogationis Seßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

SACROSANCTI ŒCUMENICI, ET
GENERALIS CONCILII TRI-
DENTINI,

SESSIO VNDECIMA,

QVÆ EST PRIMA
SVB IVLIO III. PONT. MAXIMO
CELEBRATA KAL. MAII,
M. D. LI.

Decretum de resumendo Concilio.

PLACETNE vobis, ad laudem & gloriam
sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Fi-
lij, & Spiritus Sancti ad incrementum &
exaltationem fidei & religionis Christianæ,
sacri œcumenicæ & generale Concilium
Tridentinum, iuxta formam & tenorem litterarum San-
ctissimi Domini nostri, resumere debere, & procedendum
esse ad vltiora? *Responderunt, PLACET.*

Indictio future Sessionis.

PLACETNE vobis, proximam futuram Sessionem ha-
bendam & celebrandam esse in futuris Kalendis Septem-
bris? *Responderunt, PLACET.*

SESSIO DVODECIMA,

QVÆ EST SECUNDA
SVB IVLIO III. PONT. MAXIMO
CELEBRATA DIE PRIMA
SEPTEMB. M. D. LI.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAEROSANCTA œcumenica, & generalis Tri-
dentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè con-
gregata, præfidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis A-
postolice

postolicæ Legato, & Nuncijs, quæ in proximè præterita
 Sessione sequentem hanc hodie habendam, & ad ulterio-
 ra procedendum esse decreuerat, cum ob inclytæ Germa-
 nicæ nationis, cuius præcipuè causa agitur, absentiam, ac
 non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere
 hæcenus distulerit, de Venerabilium in Christo fratrum,
 & filiorum suorum, Moguntini & Treuerensis Archiepi-
 scoporum, ac sacri Romani Imperij Principum Electorū,
 & complurium ipsius aliarumque prouinciarum Episco-
 porum, sub hanc ipsam diem aduentu in Domino exultas
 & dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque
 spem coticipiens, quàm plurimos alios tam ipsius Germa-
 nicæ, quàm aliarum nationum Prælatos & sui officij debi-
 to & hoc exemplo commotos, propediem esse venturos,
 futuram Sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit vn-
 decima mensis Octobris proximè sequentis, indicit; &
 Concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo,
 cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis no-
 uæ Legis in genere, & in specie de Baptismate & Confir-
 matione definitum fuerit, statuit & decernit de sanctissi-
 mæ Eucharistiæ Sacramento, necnon, quod ad reforma-
 tionem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commo-
 diorem Prælatorum residentiam pertinent, agi & tracta-
 ri debere; ac monet & hortatur omnes Patres, vt interim,
 Domini nostri Iesu Christi exemplo, quantum tamen hu-
 mana fragilitas patietur, ieiunijs & orationibus vacent,
 vt tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus, Deus,
 corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, &
 sanctæ matris Ecclesiæ vnitatem, ac te-
 stè viuendi normam re-
 ducere digne-
 tur.